

praevis ordinatam emolumentorum Confiniariorum conscriptionem Domini Status et Ordines Illustrissimum pariter Dominum Generalem Sermage, uti et emeritum Confiniorum Commissarium, cum interventu etiam moderni Confiniorum Commissarij ordinarunt, ac Domino quidem Generali sex, Domino Markochich quatuor, Domino vero Actuario Volich duos florenos diurnum resolverunt.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1763. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1763. 19. et sequentibus Mensis Decembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Generalis Campi Mareschalli, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consilarii, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 19. et sequentibus Mensis Decembris diebus Anni 1763, Zagrabiae, in Arce Episcopali, celebrata Congregatione conclusi.

(*Caeteris exmissis.*)

Articulus Secundus.

*De recognita per ipsum Consilium Bellicum Confinii Banalis ab eodem non dependentia.*

Paternam Stuae Excellentiae Banalis in manutenenda Regnorum horum jura semper intentam curam et sollicitudinem in eo denuo grati venerantur Status et Ordines, quod ad antevetendam a Consilio Bellico intentari cupitam per Commissarium Bellicum Lustram adeo nervose et efficaciter apud Suam Majestatem Sacratissimam agere dignata sit, ut ipsum demum Consilium Bellicum, proprio ad excelsam Cancellariam Hungaricam dato insinuato agnovèrit, Confinia Banalia a se nequaquam dependere. In perenne proinde rei hujus monumentum aeternumque erga Suam Excellentiam Banalem gratitudinis argumentum, insinua-